

metro quandoque potest multis gradibus altius atcolli aut deprimi quam
 frigus vel aer exigat. Quamobrem thermometrum sigillatum, in quod ni-
 hil aeris ambientis gravitati licet, longè & accuratior frigoris norma &c.
 Quæ postrema verba viri acutissimi dum lego, recordatus interim Clarissimum
 „ Dn. Reyherum in Dissert. de Aëre Cap. VII. illi è diametro aduersum sentire,
 „ ubi eam constructionem, quæ phiala bicipiti utrinque clausâ constat, Belgis
 „ usitatissimam, nostroque tertio genere expressam, prorsus esse rejiciendam
 „ dicit, quod, clauso capite inferiore aër externus impediatur comprimere
 „ vel rarefacere interaum &c. ac paulò post, non nisi tunc tolerari posse judicat
 „ utrinque clausa thermometra, si pro examinandis caloribus ægrotorum aut
 „ fermentationum comparata sint (in hoc posteriore casu verticis convexi lo-
 „ co concavum habentia sinum, cui liquores fermentantes infunduntur) tunc
 „ enim calorem superioris capituli posse agere in inferiorem auram, quæ reti-
 „ neat temperiem auræ ambientis. Verùm, quod pace tamen Viri Clarissimi
 fiat, externum aerem à Thermometrorum interioribus utilius multò excludi
 quàm isthuc admitti cum Dn. du Hamel existimaverim, siquidem à sola calo-
 ris frigorisque varietate liquoris ascensum descensumve, non verò simul à mu-
 tata aeris gravitate, dependere, h. e. Thermometro suum constare munus ac
 rationem imperturbatam velim, adeò quidem ut alterum Reyheri axioma ad
 structuram Thermometrorum non tantùm nec utile nec necessarium, sed et-
 iam noxium esse videatur. Primum verò ejus axioma, cui hanc clausuram
 utriusque Thermometrorum constructionem itidem repugnare rectè dicit, uti
 nos quoque ambabus ulnis amplectimur, indeque hæc ipsa sigillata unà cum
 cæteris imperfectionis haut exiguæ arguimus; ita du Hamel etiam, isthæc sua
 habere incommoda non diffitetur, quin allegatis paulò superiùs verbis hæc
 immediatè ferè subnectit, in quibus idem, quod Dn. Reyheri primum axioma
 desiderat: *Nec deniq; satis liquet, inquit, utrum aer quem ex. gr. unius fri-
 goris gradus unius digiti latitudine arctiorem effecit, duobus frigoris gradi-
 bus, duobus itidem digitis densior sit futurus; cum vis elastica aeris hoc ma-
 gis possit obsistere, quo in arctius spatium is cogitur.*

AUCTARIUM X. TENTAMINIS.

AD IPSAM INSCRIPTIONEM.

Non erit ingratum, scio, iis saltem qui linguam Italicam non callent, imò
 cæteris etiam ad quorum manus *Lana* scripta nondum pervenerunt, ipsa
 inventoris artis hujus aero-nauticæ verba in latinum sermonem translata hæc
 legere: Sic enim, an mentem Ingeniosissimi Viri satis expresserimus, poterunt
 judicare, & hinc porrò lux aliqua nostræ demonstrationi, fortassis etiam ex hæc
 nostra